

illa, in qua est immediata connexio prædicati cum subiecto, & est evidentia talis connexionis. Unde intelligitur, quod quando dicitur propositio per se nota, *To* per se non opponitur propositioni notæ per accidens, sed propositioni notæ per aliud; ita ut idem sit dicere, propositio per se nota, ac propositio non nota per aliud, non vero ac propositio non nota per accidens. Ratio est, quia si propositio per se nota importat immediatam connexionem, quam esset per aliud, esset mediata, non immediata, connexio; per illud scilicet medium, cujus ratione connexio esset mediata; sicque *To* per se opponitur *To* per aliud, non vero *To* per accidens, ut dictum est. Hinc etiam habetur diversitas opinionum inter Scholasticos, quæ inter eosdem parit dissidium; quum aliqui tueantur propositionem, Deus est, esse per se notam, & quoad se, & quoad nos; alii, nec quoad se, nec quoad nos; plures quoad se quidem, non vero quoad nos. Nos vero cohærenter ad ea, quæ diximus, putamus, si quasi a priori potest existentia Dei demonstrari, ut in Dissertatione quinta plurium demonstrationes quasi a priori retulimus, propositio, Deus est, nullo modo est per se nota, nec quoad se, nec quoad nos. Quod sic suademus. Existentia Dei demonstratur quasi a priori, ergo propositio, Deus est, nullo modo est per se nota. Consequentia probatur. Demonstrari quasi a priori est demonstrari per medium aliquod intrinsecum; sed demonstrari per medium est demonstrari per aliud: ergo si existentia Dei demonstratur quasi a priori, propositio Deus est nullo modo est per se nota. Probatur minor. Demonstrari aliquid per medium est non innotescere per se; sed non innotescere per se est demonstrari per aliud: ergo demonstrari per medium est demonstrari per aliud. Vel alio modo. In propositione per se nota prædicatum immediate connectitur cum subiecto; sed si existentia Dei probatur quasi a priori, non immediate connectitur cum Deo: ergo si existentia Dei probatur quasi a priori, propositio, Deus est, non est per se nota. Probatur minor. Tunc existentia non connectitur immediate cum Deo, quando connectitur mediante aliquo prædicato intrinseco, quod assumitur ad probandam eam quasi a priori; sed connecti mediante aliquo prædicato non est connecti immediate: ergo si existentia Dei probatur quasi a priori, propositio, Deus est, non est per se nota.

Hoc idem colligimus ex Theologis, quos in-

hac Dissertatione laudavimus. Nimirum ex Du-Hamel, qui ait: *Propositio vero est per se nota in se tantummodo, & secundum quid, cum attributum est de subiecti essentia, neque a priori, ut loquuntur, demonstrari potest.* Ex Juenin, qui scribit; *cujus prædicatum, & immediate, & evidenter, connexum est cum subiecto; unde non indiget medio priore, quo manifestetur, sed sola terminorum penetratione, seu cognitione essentie, tum prædicati, tum subiecti.* Ex Henno, qui asserit; *propositio per se nota excludere debet medium, per quod demonstratur a priori, non tamen a posteriori, prædicatum convenire subiecto.* Ex Frassen, qui inquit; *tertia conditio est, ut non possit demonstrari a priori, prædicatum subiecto convenire; alioquin non esset immediata, nec proinde per se nota, si per aliquod medium prius conceptibile in re, qua cognoscitur, prædicatum, quod de ea affirmatur, ipsi competere.* Non excluditur tamen demonstratio a posteriori, qua intellectus noster veluti manuducatur, ut per rei effectus, aut proprietates, deprehendat, prædicatum, quod de ea affirmatur, ipsi per se, & immediate, competere. Ex Dominico a SS. Trinitate, qui docet; *Cur autem propositio per se nota excludat medium a priori, non excludat a posteriori, ratio est in promptu; quia hoc ipso, quod habet medium a priori, jam prædicatum non immediate inest subiecto; & sic non erit nota per se, sed per aliud intrinsece intermedium inter prædicatum, & subiectum.* Contra vero medium a posteriori non importat causam intrinsecam, & in essendo, sed extrinsecam, & in cognoscendo, & sic non impedit immediatam connexionem prædicati cum subiecto. Denique, ut cæteros omittamus, ex Cavino, qui dicit; *illa propositio est per se nota secundum se, quæ quantum est ex se, vel non habet, vel non indiget medio ab extremis distincto, cum sit immediata in materia necessaria; unde eo ipso, quod extrema sic immediate connexa perfecte cognoscuntur, statim apparet immediata eorum connexio, cum non sit assignabile medium impediens evidentem ejus cognitionem, vel necessario conducentem ad illam; ut patet ex terminis.*

Attamen P. Magnanus, etsi nobiscum sit, probans Dei existentiam quasi a priori, ut diximus, alia nihilominus via probare aggreditur, propositionem, Deus est, non esse per se notam. Et quidem P. Magnanus ait; *sufficere ad probandum, propositionem illam, Deus est, non esse per se notam, contentiones, quas undequaque cum Atheis sustinemus. Si enim existentia taliter de conceptu Dei esset, ut statim Deo ipso cognito, deberet adhuc necessario cognosci existens,*